

nostram] Nec aliter me interpretari influentias, quam de illorum causalitate mea scripta ante hac edita loquuntur. Præsertim *Disputatio de influentiis, item de cælo*. D. Wagnerum autem, quem Watsonius dicto loco adducit, & alios qui influentias rejiciunt, existimo agere contra eos, qui vocis hujus diversum quid à veris operationibus significare visæ, prætextu, superstitionas opiniones, quas ego quod ad me attinet, nunquam probavi, venditare volunt. Quod verò cum iis, quæ de cælo ex Phisicis rationibus & experientia solida deduco, nihilominus vapulo, & in eundem censum detrudor cum superstitionis Astrologis à Watsonio, id ægrius ferrem, nisi viderem fieri ex imbecillitate judicii, vim meorum argumentorum, quibus omnia stabilivi, non intelligentis. Aliàs hoc nomine saltem à vulgo Astrologorum me segregaret, quòd omnia rationibus, & quidem ubi materia patitur, solidè demonstrativis fulcire studeam saltem, quamvis forte non semper assequar; cum illi auribus & oculis ad omnes rationes oclusis, solam autoritatem atque vetustatem crepent.

§. 3. Sed verba ipsius videamus. Ad primam itaque quæstionis partem quod attinet. Primò verba mea, quæ habeo *Physic. Arist. p. 232*. adduxisse videri vult per virgulas marginales, in tali citatione usitatas. Ut verò illa sunt à meis diversissima, ita diversissimum etiam sensum per illa mihi affingit, quasi scilicet statuam Planetam patris vel matris natalitium [hoc est eum, qui Lunæ fuit natali eorum tempore aspectu aliquo associatus] agere non in patrem vel matrem, ut etiam hoc nomine armis à cælo fortioribus ad actum generationis instructi concurrant, sed tantùm in Natum, & quidem immediatè. Hinc dicit pag. 420. *Adeò longinq; ista derivanda non sunt, cum in proximo & ante manus jaceant. Philosophus 12. gen. & de part. anim. cap. 5. hoc quaesitum, cur liberi sunt parentibus ut plurimum similes, declarat ex natura, Phantasiæ, materie rectè dispositæ operationibus & qualitatibus uteri aliisque causis, quæ cum variè queunt impediri, ex similitudine faciei de prole & parentibus, debilis sit collectio.* Hæc Watsonius, qui hac in parte similis mihi videtur, ei qui suppetentibus frumentis, glandibus vesci malit. Aristotelem quantus quantus aliàs fuerit ne dicam quòd ipse l. 4. c. 3. libri citati multa multo aliter doceat, quàm hîc ei tribuit Watsonius] in Astronomicis tamen observationibus, & collatione constellationum cum nativitatibus occupatum non fuisse notum est, [unde mirum non est, effata ejus minus quàm in his accurata esse] Et tamen  
2. de